



J. N. 124, 67

Π i
258





OPUS
GENERICISSIMO
PRAESIDI

DOMINICIS
CONSILIARIS

MARGARITAE
SIVE

DE
CHRISTOPHE
KLETSCHMARIA



PROTOSYNEDRII
QVOD, IN. SAXONIA. FLORET
PERILLVSTRI. AC. GENEROSISSIMO
PRAESIDI
NEC. NON
VIRIS. SVMME. REVERENDIS. MAGNIFICIS
AMPLISSIMIS. CONSVLTISSIMIS
EXCELLENTISSIMISQVE
DOMINIS. CONSILIARIIS
AC
ASSESSORIBVS. GRAVISSIMIS
MAECENATIBVS. SVIS
MAXIMIS. OMNI. PIETATIS. CVLTV. AETERNVM
OBSERVANDIS
FAVSTA. NOVI. ANNI. AVSPICIA. APPRECATVR
SIMVLQVE
DE. DIE. FESTO. BVCCINARVM
DISSERIT
M. CHRISTOPH. KRETZSCHMARVS
REV. MINIST. CANDIDAT.

I L E B V R G I
PRELO. BERGEMANNIANO

PROTO-SYNDER
 PRO-VA. CANTON. PRO-VA.
 PRAESIDI
 VIRI SUMME REVERENDI MAGNIFICI
 AMPLISSIMI CONSULTISSIMI
 EXCELLENTISSIMORUM
 DOMINI CONSILIARII
 ASSessoribus GRAVISSIMIS
 MAJESTATIBUS SVIS
 MAXIME OMNI PETITAE CULTU AETERNAE
 ORSERVANDIS
 HANNOVERAE ANNO AVGVSTI ARREACTAE
 1720
 DE DIE RESTO. BVCCINARVM
 M. CHRISTOPH. KRETZSCHMARVS
 CIV. MINTZ. CANDIDAT.

 1720
 PETRO. SACCHARINVS





CONSPECTVS
EORVM, QVAE IN HAC DISSER-
TATIONE TRACTANTVR:

§. 1. Novi anni auspiciū generatim spectatum. §. 2. An-
ni exordium apud Hebraeos receptam. §. 3. Denominationes bu-
jus auspicii Hebraicis. §. 4. cultus Diuinus et caerimonie in eo
obseruatae. §. 5. buccinarum clangor ejusque solennis. §. 6. bu-
jus clangoris causae. §. 7. quamdiu festum istud manserit?
§. 8. Ejus Typologia. Tandemque vota suscepta subnectantur.

§. 1.
Singulae quidem gentes di-
uerso admodum tempo-
re a) annum sunt auspica-
tae, at multis tamen quae-
que caerimoniis, quin et
cultu superstitioso b) an-
ni initium celebrarunt.

a) AEGYPTIOS, de quibus constat, quod certum annu-
m dum primi habuerint, teste HERODOTO libr. II. c. 4,

annum ab autumno ejusque mense, quem Hermen seu Thor dixere, nostro Septembri respondentem, inchoasse tradit ALEX. AB ALEXANDR. Genial. Diar. libr. III. c. 24. PERSAS a Martio anni auspiciū cepisse obieruunt ADAM OLEARIVS in Itiner. Persic. p. 440, et 627. Conf. et JO. ALBERT. FABRICIVS in Menolog. p. 67. Gens Grajorum vti et Rerum publicarum forma, ita et fastis valde inter se discrepabat. ATTICIS annum a solstitio aestiuo inchoantibus primus mensis *Ἐκατομβαιῶν* appellabatur, partim Junio, partim Julio nostro congruens, Conf. JO. PHIL. PFEIFFERI Antiquit. Graec. libr. I. c. XLI. p. 94, seq. et LAMB. BOS. Antiqu. Attic. c. XXVI §. 5. p. 69. AETOS post autumnale aequinoctium Comitia, habuisse, annumque auspiciatos esse narrat paulo ante allegatus ALEX. AB ALEX. l. c. MACEDONES mensē, qui anno dabat initium *Ἐαυθῶν* appellabant maxima ex parte Aprili nostro conformem. Vid. PFEIFFERVS l. c. de reliquis Graecorum populis vt taceam. Apud ROMANOS vel septies auspiciū anni fuit variatum. Romulus Urbis parens in decem tantummodo menses, OVIDIO teste Fast. l. 27. et III. 111, annum describens, Martium ob honorem Deo, vt credebat, parenti debitum, principium anni esse jubebat. At Numa Pompilius duobus Mensibus Januario utpote ac Februario adjectis ab illo anni primordium capere docuit, haud absolum esse judicans annum ab eo tempore ordiri, quo Sol absoluto Zodiaci cursu ad nos reuerti coepisset. Quam modi hujus annum auspicandi rationem reddit PLVTARCHVS Probl. XLIX. Postea consulibus fasces tenentibus tum Calendae Sextiles, tum Idus Majae, tum Idus Decembres, tum Idus Martiae etc. quod attinet ad Comitia et in eundem magistratus anni praebere auspiciū, donec tandem Augusti tempore iterum

Ca

Calendis Januariis jus annum auspicandi vindicaretur. Et quamquam postea Nerone tyranno imperante Senatus a Decembri mense, quo in lucem editus erat Imperator, annum incipiendum censuit, Calendae tamen Januariæ jus suum obtinuerunt. Videantur præter LIVIUM aliosque Rerum Romanarum Conditores, qui passim de hac re tradunt SAM. PITISCVS in Lexic. Antiqu. Rom. T. I. sub voce Annus Romuleus p. 111. et 112. ALEX. AB ALEX. Genial. Dier. libr. III. c. 24. et M. MART. LIPEN. Strenar. Civil. Hist. c. 11. § 36, 37. p. 33 et 34 Christianis eadem Januarii Calendae placuere, aliqua ex parte ob rationem, quam reddidit paulo ante PLVTARCHVS, at maxime tamen, quia Sol Justitiæ circa id tempus, die videlicet XXV. Decembr. a multis maximæque auctoritatis viris CHRYSOSTOMI in primis testimonio Homil. in Seruatoris nostri diem Natalem habita, susculti ortus esse refertur. Quam ob rem eleganter canit AVRELIVS PRVDENTIVS Cathermer, Hymn. VIII. Kal. Januar. ab initio:

*Quid est, quod arcum circum
Sol jam recurrens deserit?
Christusne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?*

Ilos, qui tum circa tempus vernum cum THOMA LYDIAT, tum autumnale cum BEROALDO et JOS. SCALIGERO, tum §. Iduum Januarii cum ORIENTALI ECCLESIA Eusebii temporibus florenti, ortum Solis Justitiæ euenisse contendunt, parum moramur, quia eorum argumenta ita sunt comparata, ut cuius facile, ad ea quid respondendum, appareat, iudice AEGIDIO STRAVCHIO in Breuiar. Chronol. Part. Special. libe. IV. c. 40. qu. §. p. 789. sqq.

b) In primis idola, quæ temporum moderatores stultitia gentium sibi efformauerat, hoc tempore colebant. ATTICI

sub anni auspiciū Hecatombas suas litarunt, hinc mensis primus Ἐκατομβαιῶν dicitur teste SVIDA sub voce Ἐκατομβαιῶν T. I. p. 687. Edit. Cantabrig. ita scribente: Ἐκατομβαιῶν, ἀπό τῆς πελίας καλῆς θύομαι τῷ μηνί γινώ. ROMANI pariter hoc die Deos suos Deaque religioso admodum cultu venerabantur. Ἐυχοναί τε αὐτοί, (scribit LVCIANVS in Pseudolog. Oper. T. II. p. 436. Edit. Amstelod. 1687. cum Not. Varior.) ὑπὲρ πάντων τῶν ἄλλων ἐυχάσθαι, καὶ θύειν, Νημεῖα τῷ βασιλεῖ κατασηταμένα τὰς ἐπισημίας αὐτοῖς, καὶ προσετίθει, τὸς θεοὺς ἐν ἐκείνῃ καλῆς ἡμέρας χερμαδίζεν τοῖς ἐυχουμένοις. Prae ceteris tamen Janum Bifrontem adorabant, qui annum claudere et aperire ipsis ferebatur, non ob id officium minus, quam quia et belli et pacis regimen superstitione ipsi vindicabat, Clusius Patulcius vocatus, teste OVIDIO Factor. libr. I:

*Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrificio Clusus ore vocor.*

AEGYPTIOS ultimo anni die mensam variis cibis refertam et poculum mulso mistum, vel praeteriti anni vel futuri felicitatem auspicantes, Diis Soli haud dubie atque Lunae posuisse, huncque ritum Israelitas ad idolorum cultum semper proclives imitatos notauit S. HIERONYMVS Comment. ad Es. LXV. II. quo fundamento, nec non aliqui versiois LXX. Interpr. consensu nixus PETRVS ZORNIVS locum vexatissimum Esaiæ citat. interpretatur, per Gad intelligens Solem, perque Meni Lunam, in Diss. de Noui Anni Auspiciis, quae Judaei Gentium Ritu in Honorem Gad et Meni, hoc est, Solis et Lunae celebrarunt ad Illustr. Esaiæ LXV. II. Hamb. 1722, in 8vo edita. A qua tamen impietatis exprobratione profici Judaei liberantur, atque in recentiores potius Recutitos πολυθεῖας, studiosos, luere, quae quavis arte anhelantes redundat ignominia, si dictum Esaiæ oraculum ex mente. C. Altorf. Theologi D. GVSTAV.

GE-

GEORG, ZELTNERI explicatur, vid. ejus Diss. de Gad et
 Meni Judaeorum Hodiernorum Diis. Alcorff. 1715. habita.
 Sed ut ad gentium improbitatem redeamus, praeter cultum
 idolis praefitum variis impiae laetitiae generibus anni ini-
 tium conspurcabant. Tripudia utpote permutatis vesti-
 bus, ita ut viri cultu muliebri, mulieres virorum vestibus
 essent induti, peragebant; Inuitatis tum remotioribus, tum
 amicis praesentibus splendidae conuiuiorum pompae va-
 cabant gulae luxuique indulgentes; Januas luminaribus,
 coronis, laureisque exornabant; quin et nefandis specta-
 culis ludorum Circensium, mancipiorum cum belluis pu-
 gnantium etc. spectantis multitudinis oculi oblectabantur.
 De quibus videantur SYMMACHVS libr. VII. Ep. 4. et libr.
 IX. Ep. 11. AELIVS LAMPRIDIUS in Alexandro Seuero
 c. 37. T. I. p. 951. seq. Histor. August. Lugd. Bar. 1671. cum
 Not. Casaub. etc. edit. TERTULLIAN. in libr. de Cultu
 Foemin. alii. Quae im pietas, quod temporum progressu
 ex parte Christianam ecclesiam immigrarat, a Patribus
 SYNODI QVINI SEXTAE (quae Trulliana est dicta,
 quia Justinianus II. Imperator Pa-res in Palatium suum
 Trullum appellatum, conuocauerat) Canone sexagesimo
 sexto seuerè est proscrip-ta. De strenis, quas SYNODVS
 ANTISIODORENSIS Canon. I. certis de causis Diabolicas
 appellat, quas tamen, si ab impietatis atque superstitio-nis ma-
 cula defaecantur, non improbamus, jam non vacat dicere.
 Videatur interim M. MART. LIPENII Strenarum Ciuil.
 Historia, / Halae Saxon. MDCLXX, impressa, qui itidem
 prolixius agit de Votis sub auspiciu Noui anni conceptis
 Cap. V. p. 233. sqq. Christianis abolito paganismo Calendae
 Ianuariae itidem in diem festum abierunt, quia videlicet
 diem octauum a festo nati Christi constituunt, primitiaeque
 effusi sanguinis Christi, uti par est, in memoriam sunt reuo-
 candae. Nec tamen tripudiorum aut impietatis, sed iustu-
 poenitentiaeque dies in primitiua ecclesia extitere, Chri-

stianis tum jejunantibus, tum liris canentibus, Deum-
que gentium sceleribus hoc tempore admodum offendi pie
dolentibus. Quam in rem scribit AMBROSIVS Serm. II. de
Kal. Januar: *Nos die isto jejunamus, ut ethnici intelligant,
ipsarum gaudia jejuniis nostris condemnari.* Videatur HIL-
DEBRANDVS de Diebus Festis p. 34. seqq. Ita et poeniten-
tia dies ex mente nonnullorum penes Hebraeos festum
buccinarum fuit, de quo nunc paulo prolixius erit agendum.

§. 2.

Patriarchae populusque Dei ante exitum
ex ergastulo Aegyptiaco legemque latam au-
tumnali tempore, eoque mense, qui postea
Tisri fuit appellatus a) annum ordiebantur, quo
etiam mundum esse conditum b) et Hebraei
credebant, et optime omnium statuitur. At
postea duplex diuino jussu obtinebat principi-
um anni c) Ecclesiastici mense Nisan, ex parte
Martio nostro congruenti: Ciuilis, mense Tisri,
fere nostro Septembri respondente. d)

a) Patriarchae vsque ad exitum ex Aegypto annos non nomi-
nabant, sed tantum numerabant, ex ordine primum, se-
cundum, tertium etc. allegando; Id quod patet ex Genes.
VII. 11. c. VIII. 4. 5. 13. 14. Conf. ANDR. MASIVS Com-
ment. in Josuam p. 76. Post exitum vero ex Aegypto non
amplius numerabant Israelitae menses, sed nomina ipsis erant
indita, at alia tamen ante captiuitatem Babylonicam, ac
postea gerebant, quam exilio euocati Iudaei patrios iterum
Lares salutabant. Reduci enim populo, ita in exilio edo-
cto, mensium nomina vsu veniebant sequentia: Nisan, qui
erat

erat Ecclesiastici anni primus, Martio; Jar, secundus, Aprilis; Sivan, tertius, Majo nostro etc. fere congruentes. At ante deportationem primus sacri anni mensis vocabatur Abib, Exod. XIII, 4. c. XXXIII, 15. c. XXXIV, 18. etc. qui postea Nisan; secundus Sif, 1. Reg. VI, 1, et 37. qui postea Jar; septimus, Echanim. 1. Reg. VIII, 2. qui postea Tisri appellabatur. Nec vero Hebraei minus, quam Christianorum eruditi quam plurimi ab autumnali solstitio annum Patriarchalem tum Sacrum, tum Civilem cepisse auspiciam, sicque eo mense, qui postea Tisri fuit dictus, consentiunt. TARGVM HIEROSOL. Genes. VII, 11. dilerte tradit, *Tisri esse principium anni a perfectione mundi*. Pariter asserit R. D. KIMCHI, 1. Reg. VIII, 2. *ante id tempus, quo emigrarint Israëlitas ex Aegypto, primum mensem fuisse Tisri, (nempe mensem eum, qui postea Tisri est vocatus)*. Id adeo certum Viris eruditis videtur, ut vel exinde argumentum proponendi, mundum autumnali tempore esse conditum, capi posse arbitrentur. Videantur AEGID, STRAVCHIVS Breviar. Chronol. Part. Spec. libr. IV. c. I. qu. VII. p. 237. et Magnus D. HENR. CLAVSING in Disp. de Forma Anni Hebraeorum Patriarchali, Witteb. 1716. habita Propos. VI. §. 3. p. 23. Quando itaque diluuii tempestas mense secundo coepisse, Genes. VII, 11. et eodem mense anni sequentis desinisse Genes. VIII, 13. 14. a scriptura sacra dicitur, mensis inuenitur. Marcheian Octobri nostro geminus. Testis hujus rei non spernendus audiatur JOSEPHVS lib. I. Antiquit. c. 4. p. 8. et 9. Edit. Genes. Anno 1611. Editae, ita scribens: *Συνέβη τὸ πᾶσι κατα τὸ ἔλαττον εἶναι τὴν Νύκτα τῆς ἀρχῆς ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Διὸ μὲν ὑπὸ Μαρκεδῶν λεγομένη, Μαρκεδῶν δὲ ὑπὸ Ἑβραίων.* Quamvis itaque GERHARD. JO. VOSSIVS Ifagog. Chronolog. c. V. alique veteres diluuium coepisse contenderint, eorum tamen sententiam recte rejecit AEGID. STRAVCHIVS l. c. libr. IV. c. III. qu. VII. p. 250. seqq. ut adeo recte legatur in TABVL. CHRONO-

NO.

NOLOG. quae B. Lutheri German. Bibl. Versioni praemitti solent: *Die Sündfluth kömmt über die Welt im angehenden Jahres.*

b) De tempore conditi mundi maximum inter eruditos fuit certamen. Qui aestivo hybernoque tempori mundi principium vindicarunt, pauciores extitere Aegyptios videlicet MACROBIUS in *Somma Scipion*, libr. I. c. XXk p. 87. Edit. Plantiniana Lugd. Bat. 1597. pro aestate pugnasse tradit, quod pariter confirmat SOLINVS Polyhist. c. XLV: Et PHILIPP. CLVVERIVS libr. I. Germ. Antiqu. c. XXXIII mundi extinctionem hyemi videtur attribuisse; Major autem praeter nonnullos primitivae ecclesiae Patres recentiorum eraditorum est numerus, qui stant a veni temporis partibus, quorum nomina hic recensere nostri non est instituti. Optima omnium mihi videtur illorum sententia, qui autumnum mundum esse conditum defendunt. Consentiunt nobiscum Judaeorum Doctores. Notum est illud GEMARICORVM עולם הראשון ר' אלעזר אומר בתשרי נברא העולם R. D. KIMCHI 1. Reg. VIII, 2. disertis verbis scribit: בתשרי נברא העולם, TARGVM HIEROSOL. Genes. VII. II. וַתְּשֵׂרֵי יוֹשֵׁה שָׂרָא לְשִׁכּוּל עֵלְמָא. Quamvis autem Rabbino- rum probationes, quando videlicet R. ELIEZER cum aliis Cabbalisticè ex prima Geneleos voce ראשית, quae fit per *Metathesin* תישרא id evincere conantur, scopum non feriant, eruditi tamen, quod ad autumnale conditi mundi tempus attinet, longo agmine eorum opinionem sunt amplexi: Evoluantur PETAVIVS, JAC. VSSERIVS, CALVISIVS. aliique in Oper. Chronol., quorum argumenta in compendio proponit AEGID. STRAVCHIVS l. c. libr. IV. c. l. qu. VII. p. 237. seq.

c) JO. ANDREAS WITTER R. MOSIS MAIMONIDIS Tr. קירש דחורש. f. de Nouilunii Initiatione translatum Notisque auctum publice sub Praesidio CL. JO. ANDR. DAN-

DANTZII Jena 1703, ventilavit, ad quem p. 70. et 71. not. e ex Codic. ראש השנה csp. I. obseruat, Judaeos secundum varia objecta quatuor anni noui initia habuisse: *Primo die mensis Nisan pro Regibus Israelitarum et festis; Primo die mensis Elul pro pecore decimando; Primo die mensis Tisri pro annis itemque pro annis Sabbaticis ac Jubilaeis; Primo die mensis Schebarh pro arborum fructibus decimandis fuisse anni auspicium.* At solenniora tamen annum auspiciandi tempora exitere duo: Primus dies mensis Nisan, quo annum Ecclesiasticum ordiebantur, et primus dies Tisri, quo annus ciuilis initium capiebat. Duplex quidem hoc anni principium negarunt nonnulli, teste HOTTINGER. in Notis ad GOODVIN. Mos. et Aaron. libr. III. c. VII. not. a; sed praeter rem. Patriarchae enim, cum vsque ad exitum ex Aegypto idem et rerum sacrarum, et ciuiliu habuissent mense Tisri anni auspiciu, vti iam ostensum: Deus instante Israelitarum ex ergastulo exitu, diserte praecepit: **הַרְדֵּשׁ הוּא לָכֶם לְחַדְשֵׁי הַשָּׁנָה** Exod. XII, 2. Israelitae videlicet in memoriam exitus ex angustiis Aegyptiacis mense Abib s. Nisan ex Exod. XIII, 4. etc. facti, diuinitus iubentur a die liberationis auspiciari annum sacrum nempe s. Ecclesiasticum, non abolito tamen altero anni Ciuilis principio Mense Tisri celebrando, quippe quod pariter solenniori ritu vt sanctum haberent, luculentum Dei accepere mandatum Leuit XXIII, 24 & Num. XXIX, 1. legendum. hinc R. D. KIMCHI l. c. scribit: Ante id tempus, quo emigrarunt Israelitae ex Aegypto, primus mensis erat Tisri, quia in Tisri conditus est mundus: Sed postquam egressi sunt ex Aegypto in mense Nisan, hic ipse est principium mensium, et Tisri ab eo septimus. Adhuc luculentius JOSEPHVS lib. I. Antiqu. c. 4. p. 9. Edit. Geneu.





B

Mω-

Μωϋσῆς τὸν Νισάν, ὃς ἐστὶ Ξανθικός, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ᾤρισεν καὶ τὸν ἐξ Ἀιγύπτου τὰς Ἑβραίους προαγαγόν. Οὗτ' ἔστι δ' αὐτῷ καὶ πρὸς ἀπάσας τὰς εἰς τὸ Θεῖον τιμὰς ἤρχεν. Ἐπὶ μὲν τοι γε ἀνάς καὶ πηδσεῖς καὶ τὴν ἀλλοῦ διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεΐδλαξε. Videatur et B. JO. BRENTII Commentar. in Leuitic. XXIII, 9. 24.

- d) Ab exordio itaque anni sacri mense Nisan faciendo septimus erat mensis Tisri quantum ad numerum attinet septimo cujuslibet hebdomadis diei sancte colendo, nec non septimo anno seu Sabbathico respondens. Addunt nonnulli numerum hunc anno Jubileo congruisse, qui tamen quinquaginta annorum expletorum periodo recurrit, uti operose adstruit B. JO. CHRISTIAN. BVCKIUS in Diff. de Anno Hebraeorum Jubileo Witteb. MDCC. pro loco ventilata Thef. IV. §. 1. seqq. ut adeo comparatio numeri hujus, quoad hoc momentum vacillet. Interim ex numero hoc septenario nonnulli mysterium peruulgatum de septima noui Testamenti periodo gentibus in errorem inductis caccisque Judaeis meliorem mentem ad ferenti exsculpere annuntur: Videantur BONFRERIVS ad Leuit. XXIII, 24. et REIZIVS in Notis ad Goodvini Mos. et Aaron. l. c. not. I. ubi agit de Nouiluniorum praefiguratione, aliisque. Ad quam tamen rem probandam exinde firmum non videtur elici posse argumentum.

§. 3.

Festum noui anni ciuilis a) primo mensis Tisri die recurrens a Mose non solum  ויום חג Num. XXIX, 1. sed &  ויום חג Leuit. XXIII, 24. b) ab Hebraeis vero  ויום חג c)  et

et a Graecis *ἱερομηνία* et *ἑορτὴ σαλπύγγων* d) appellatur.

- a) CIVILIS anni auspiciū propterea appellari consuevit, quia non minus ciuiliū negotiorū actionūque ratio, quam annorū ac temporis descriptio ab hoc anni auspicio pendebant. Videatur locus JOSEPHI s; anteced. allegatus. NOVVS quoque annus κατ' ἔξοχὴν primus hic Tisri nostro fere Septembri respondentis dies vocatur. Quorsū pertinet illud, quando Deus in majorū festorū institutione praecepit, vt festum collectionis f. Tabernaculorū (quod collectionis dicitur, quia frugibus ex agro collectis instabat) celebraretur כצאת השנה Exod. XXIII, 16. quod explicatur Exod. XXXIV, 32. per תקיפת שנה reuolutionem anni. Tabernaculorū autem festum cum a die decimo quinto vsque ad vigesimū primum per integros septem dies mensis Tisri, vti patet ex Leuit. XXIII, 34. fuerit celebratum, per anni reuolutionem locis supra citatis nouū annū ciuilem primo mensis Tisri celebrandum intelligi, satis superque constat.
- b) Dies clangoris audit istud festum, propterea, quod buccinis in templo clangebant sacerdotes, de qua re paulo post dicendi dabitur facultas, sicut etiam de eo, quare Memoriale clangoris vocetur, de cuius denominationis modo multum defudarunt eruditi.
- c) ראש השנה Caput s; principium anni, sub quo titulo extat Codex Miſchnicus de hoc festo agens.
- d) Appellatio *ἱερομηνίας* et *σαλπύγγων ἑορτῆς* apud PHILONEM libr. de Festis occurrit. *ἱερομηνία* dicitur hic dies festus, κατ' ἔξοχὴν, quia hoc die non solum peculiaria peragebantur sacra, sed et totus fere mensis sacer erat ob magna in eo celebrata festa, ἑορτὴ σαλ-

πύργων ob buccinarum clangorem hoc die receptum appellatur, de quo infra. Σαλπιγξ descendit a verbo σαλπίζω, quo vsus est Seruator in depingendis Pharisaeorum eleemosynis, Matth. VI, 2. vbi tamen non in propria sed translata significatione accipiendum venit. Vix enim credibile, Pharisaeos ad buccinarum sonitum erogasse eleemosynas: Nec firmo nititur fundamento STEPHANI LE MOYNE in Obseruat. ad Varia Sacra p. 73. aliorumque sententia, de vasis buccinarum formam habentibus, in quae magno strepitu Pharisaei liberalitatis famam aucupantes, dona sua conjecerint. Per modum potius Prouerbii Seruator ostentationem Pharisaeorum, qua magno strepitu omnium oculos in se conuersuri stipem pauperibus dabant superbi isti hypocritae, depingit. Quod Prouerbum apud Graecos non adeo infrequens, sicut et ejus vestigia in vernacula nostra extant. Conf. praeter. B. GOTTFR. OLEARIi Obseruat. in Matthaeum Obs. XIIX. p. 167. JAC. ELSNERI Obseru. Sacr. in Nou. Foed. Libr. P. I. p. 33. seqq. nec non JO. ALBERTI Obseru. Philolog. in Nou. Foeder. Libr. p. 43. seq.

§. 4.

Quamuis hoc festo omnes ac singuli Israëlitae Hierosolymam frequentare a) non tenerentur, admodum tamen sacer erat hic dies, isque duplici jure: I.] ob Nouilunium primo cuiusuis mensis die solenni ritu obeundum; II.] ob auspiciam noui anni sanctum pariter habendum. Quam ob causam etiam praeter Nouilunium

nii

nii sacra hic dies peculiaria sibi vindicabat, b) variisque caerimoniis transigebatur, c)

a) Ab opere quidem omni per totum diem cessare erant iussi, Leuitic. XXIII, 25. Num. XXIX, 1. Nec tamen propterea requirebatur, vt omnes masculi urbem sanctam peterent. Videatur LVNDIVS in *jüdischen Heiligthümern* libr. V. c. XVII. p. 1023. מקרא קדש s. conuocatio sanctitatis huic diei pariter debita a remotioribus fiebat in Synagogis suorum locorum. Absentes enim aut excitata prisca temporibus in summis montium cacuminibus flamma, aut postea ob detectam Samaritanorum fraudem acceptis ex decreto Synedrii nunciis, (Conf. MAIMONID. in קדש חודש c. III. §. 8. et 9. et WIT-TER. in Not. ad h. l. p. 27. ראש השנה c. 2. GEM. BE-TZA 4, 2. RELANDVS in Antiqu. Sacr. Vetr. Hebr. libr. IV. c. VII. p. 442.) quisque in patria sua festum hoc celebrabat. Attamen buccinarum clangor olim tantummodo in templo audiebatur, et ita quoad hunc ritum erant absentes urbis sacrae incolis deteriores. Sed deuastato templo in omnium urbium Synagogis inflabantur, id quod et hodie disperso vbiuis locorum populo in Synagogis vsu venit. Videatur BVXTORFIVS in Synagog. Judaic. c. 24. LIGHTFOOT. Hor. Hebr. ad Matth. VI, 2. et LVNDIVS l. c. p. 1023.

b) Peculiaria huic festo sacra non tollebant ea, quae quouis Nouilunio diuinitus edoctis erant peragenda. Quemadmodum enim nec quotidiana sacrificia, cum Nouilunii praescriptus obtineret cultus, cessabant, sed praemittebantur semper tanquam ordinaria iis, quae fiebant extra ordinem: Ita etiam hoc die quotidianis & Nouiluniorum sacris absolutis cultus demum

B 3

pera-

peragebatur huic festo proprius. Vnius vero iuuen-
 ci, arietis vnus, septemque agnorum anniculorum
 ἀμώμων vna cum fertis et libaminibus, & hirci vnus
 piacularis sacrificia praeter quotidiana et Nouilunio-
 rum illa, hoc die offerre erant iussi, Numer. XXIX, 2 - 6.
 Conf. GOODVVINI Mos. et Aaron. libr. III. c. VII. §. 3.
 LANGII Myster. Christi & Christian. c. VI. §. 6. p. 366.
 Haecque omnia inter suauissimos musices, cui Leuitae,
 vt semper, praeerant, concentus fiebant. Videatur
 LVNDIVS l. c. p. 1205. Quibus rite hoc modo obser-
 uatis benedictio a sacerdotibus proclamata cultum
 hunc in templo peragendum finiebat.

c) Diuino cultu in templo absoluto sancta in vrbe praesen-
 tes ad Synagogas cateruatim confluxebant, vt solenni
 legis praelectioni, nec non explanationi, hymnisque
 ex more cantandis interessent. Suas etiam preces vsu
 receptas habebant, quae deuota mente recitabantur.
 conf. de his hymnis precibusque RITTANGELII
Hochfeyerliche Solennitaeten. Pertinent quoque huc
 epulae magna animi hilaritate, at pie tamen, circa meri-
 diem captae. Quae vero omnia cum sancto repletis
 gaudio essent peragenda animis, Ezra et Nehemia fe-
 stum hoc solenni legis praelectione restaurantes, po-
 pulum, audita Summi Numinis voluntate stentem ac
 moerore sepultum ad sanctum gaudium excitabant,
 Nehem. VIII, 9. 10. Nec silentio istud praetereundum,
 maritos per totum hunc diem amiculis sepulcralibus,
 sponso a sponsa connubiorum die solenni ritu oblati
 indutos incessisse, quod obseruauit RITTANGELIVS
 in *Hochfeyerlichen Solennitaeten* p. 23. De ceteris vt iam
 taceam.

§. 5.

Prae ceteris tamen per totum istius festi diem clangebant sacerdotes buccinis a) ex cornu b) arietino c) factis, quae Hebraeis דְּבִצְרִים d) אֲרִיֵּתִים e) vocantur, unde nomen festi buccinarum obtinuit. Quam ob causam vero arietis cornu sit adoptatum, incerta est sententia. f)

- a) Aliis Nouiluniis tantum דְּבִצְרִים *fistulis* clangorem edebant, uti disertis verbis praecipit Deus Numer. X, 10. Quae fistulae multum a buccinis ratione tum materiae, tum formae, discrepabant. Fiebant videlicet fistulae vel ex cupro vel ex ferro, quin & argento conf. Num. X, 2; At buccinarum materia erant cornua, ut paulo post videbimus. Fistulae quoad ostantum patebant, quantum ad instandum sufficit, postea in campanulae modum desinentes; At buccinae cornuum formam curuam referebant. Videatur JOSEPHVS Antiqu. libr. III. c. XI. p. 97. Edit. Genevens. et ex eo HOTTINGERVS in Notis ad Goodvv. Mos. & Aaron. libr. III. c. VII. not. 3. p. 589. nec non FRANC. SVVERTIVS in Not. ad Hieronymi Magii libr. de Tintinnab. p. 116. Edit. Amstel. in 1710. Quamuis autem singulis cujuslibet mensis Nouiluniis fistulis tantum cantarent sacerdotes, Nouilunio tamen illo, quod anni apportabat auspiciam, buccinis clangebant. Negauit id quidem, teste REIZIO, in Notis ad Goodvv. Mos. & Aaron. libr. III. c. VII. not. 2. vir magni nominis, asserendo, ipsos hoc festo non דְּבִצְרִים sed אֲרִיֵּתִים clanguisse. Quod vero ad istud attinet, non negamus, instrumentum, quo sub noui anni auspiciam sunt vsi, tantum voce

ce תרועה in Codice Veteris Testamenti innui, quae ali-
 is quoque instrumentis, ac שפוחת edi potuit, cum e
 contrario clangori festo כפרים edendo luculentis verbis
 שופר praescribatur Levitic. XXV, 9. At quamvis ex
 scriptura ipsa teste BECHAI adeo solida non depro-
 mantur argumenta, opinionem nostram adstruentia ni-
 si ad nomina תרועה וים et זכרון תרועה huic festo ארז
 אֶלְעָזָר indita confugas: Consentiunt tamen Doctiores
 Hebraei, qui omnino in istis ritibus sunt audiendi, cor-
 nibus, quae buccinae fuere dicta, clangorem esse edi-
 tum. Videantur TALMVDICI in משנה ראשונה Cap. ים
 שופר, R. MOSE MIKKOZI in Praecept. affirm. 41. et
 MAIMONIDES, qui teste CVNAEO de Republ. He-
 br. libr. I. c. 2. solus ex Judaica gente non ineptiuit, in
 הלכות שופר c. I. §. 1. alique quos allegat M. CHRISTI-
 AN. ZOEGA in Diss. Philolog. I. de Buccina c. I. §. 3.
 Hodierni quoque Judaei in Synagogis suis noui anni
 die cornibus strepunt. Conf. BVXTORFFIVS de Sy-
 nag. c. XVIII. RELANDVS in Anquit. Sacr. I. c. p. 441.
 b) Inde Syris שופר dicitur καὶ ἔξοχὴ קרנא, et R. AN-
 SCHIEL in מרכבת המשנה sub litt. ש. pro Synonymis
 habet Hebr. שופר et Germanorum Horn. Constat alias
 ex monumentis quae antiquitates nobis pandunt, musi-
 ca veterum instrumenta pro simplicitate temporis fuisse
 cornea. DIONYSIVS HALICARNASS. libr. II. scri-
 bit: Τῆς δημοτικῆς ὑπερέσται τινες κίρασι βοείας ἐμυκάσθη-
 σαι, ἢ τὰς ἐκκλησίας συνήγον. Et ATHAENAEVS libr.
 XV. vbi de Phrygiorythmo: Τὸ κίρας ἀπὸ παρρησιασίου
 ἀνάλου ἐστὶ τῶν σαλπύγγων κἀδον. PROPERTIVS
 libr. 4. Eleg. XI. v. 29. p. 625. Edit. Graeu. canit:
 Nunc intra Muros pastoris buccina (scilicet cornea)
 lenti cantat
 Ab ejusmodi corneis instrumentis buccinator iis utens
 fuit

fuit vocatus cornicen. Quorsum spectat inscriptio, quam vide sis apud GRVTERVM p. 1106.

Q ATTILIVS
RUFVS
CORNICEN
P. Q. X.

- Cornua autem, ex mente ATHENAEI libr. IV. a Tyr-
rhenis innuenta, et in sacris, et in bello, et in pascu-
is etc. adhibebant, quia ad soni grauitatem faciebant.
Videatur CASP. BARTHOLINVS de Tibiis Veterum
libr. I. c. IV. p. 37. c. V. p. 44. seqq. et libr. III. c. VII. p.
400. seqq. Haec quoque simplicitas summo placuit
Numini, cultui suo haec instrumenta haud inidonea
judicanti.
- c) Quale cornuum genus ad clangorem nouo anno eden-
dum fuerit receptum, disceptant tum Rabbini, tum
Christiani Philologi. Nos illorum opinioni suffraga-
mur, qui huc cornu arietinum referunt. At contrarius
est huic sententiae R. JUDA sanctus, famosus ille cor-
poris Mischnici conditor, in ראש השנה c. 3. buccinam
nouo anni rectum rupicaprae cornu, jejuniorem vero
arietinum fuisse, diserte asserens. Cui motus ejus aucto-
ritate digitum premit CL. BVXTORFFIVS in Lexic.
Talmud. sub שופר, omnia praeter bubula cornua ju-
dicans idonea, in primis rupicaprarum, quorum ora
auro essent obducta, quod tamen nefas putarunt Do-
ctores in ראש השנה c. 2. Videatur LVNDIVS l. c.
p. 103. & seq. Hanc itaque sententiam refellit R. JE-
HVDA, idque tam prospero successu, vt in GEMARA
litem dirimentes, a partibus R. Jehudae steterint. In-
de quoque factum, vt recentiores propemodum
omnes pugnent pro cornu arietino. Videatur MAI-
MONIDES in הלכות שופר c. I. §. 1. R. MOSE MIK-
C KO-

KOZI in Praecept. affirm. 42. R. MENACHEM ABEN SERACH in צרף לררך aliique. Et hodie cum buccina nominatur, semper cornu arietinum intelligitur. Cui rei fauet genus loquendi in Scriptura obuium, quando voci שיצר, vt generaliori, quoduis cornu, seu potius tubam ex quouis cornu factam denotanti, additur vox ויבל, de qua paulo post. Quae cum ita sint, mirum videtur, quare ANDR. MASIVS, et post eum CL. BOCHARTVS cornu arietinum ad buccinam exinde conficiendam plane inidoneum iudicarent. Ille enim in Comment. ad Jos. VI. 4; Iste in Hierozoic. P. I. libr. II. c. 43. col. 425. seq. Edit. Francof. an. 1675. in praefae, et in Praefat. ad Lector. contendunt, ex cornu arietis nullo modo buccinam potuisse parari, quia sit solidum, nec quidquam habeat cauum, quo flatus recipiatur. Hinc in locum cornu arietini bubulum substituit Bochartus. Ad hoc dubium acute satis excogitatum, respondet DRVSIVS ad Jos. VI. 4. ipsum opinionem nostram nequiquam euertere, quia potuisset cauari cornu arietinum, idque adeo compensari, quod natura ipsi denegasset. Vnde petiuit, quae habet LVNDIVS in *Jüdischen Heiligtümern* libr. V. c. XVII. p. 1024. ita scribens: *Was die Natur den Widder-Hörnern versagt, sollte das die Kunst nicht haben ersetzen können? Sollten die Widder-Hörner nicht haben können ausgehölet, und zum Blasen bequem gemacht werden?* In qua virorum clarissimorum sententia libenter acquiescerem, nisi nimia Recutitorum superstitio mihi scrupulum excitaret, omnia cornua, quae arte sint cauanda, ad buccinam exinde parandam inepta iudicans. Videantur R. JOSEPHVS KAARO, R. MOSE RIBHKIS aliique, quos allegat M. CHRISTIAN. ZOEGA in Disp. allegata c. I. §. 7. Quamuis autem haec responsio vacillet, non videbimur

ta-

tamen Alexandri gladio hunc nodum dissectuisse, si contendimus, viros doctissimos aliquid asseruisse, contra quod ipsa pugnet experientia. Nonne cornua arietina pari ratione apud nos sunt caua atque bubula? Quare non idem de arietibus in terris Orientalibus inueniendis est ferendum iudicium? Referatur et huc generale illud PLINII dictum Histor. Natur. libr. XI. c. XXXVII. scribentis: *Omnibus (scilicet animalibus) caua, et in mucrone demum concreta sunt cornua; cervis autem tota solida et singulis annis decidua.* Et quid viri eruditissimi respondebunt ad locum JOSEPHI, qui Antiqu. libr. V. c. VIII. p. 154. Edit. Genue. Gideonis praelium aduersus Midianitas factum enarrans, ita commentatur: *Ἐκόμισον πάντες - - - ἐν τῇ δεξιᾷ κριῶ κέρατα, ἐχέοντο δὲ τὰ τοιαῦτα ἀντὶ σάλπιγγος?* Lapsus vero est memoria BOCHARTVS, quando bubulis cornibus vices buccinarum adjudicauit. Ipsi enim latuit, Recutitos a sono cornu bubuli plane abstinuisse, non magis propterea, quod buccina non vocetur in scriptura, quam, quod Israëlitæ in deserto sibi vitulum efformauerint aureum. Cujus facti suam vt testentur abominationem, plane in GEMARA et MISCHNA vsum bubuli cornu interdiciunt. Gentium ritus ac testimonia huc non videntur trahenda, quippe quae, quantum in enarrandis Judaeorum rebus a tramite aberrauerint, neminem fugit. Firma itaque perstat Rabbinorum sententia pro ruba arietina noui anni festo inflanda contendens. Vt vero rectius de mente eorum constet, notandum, eos, quantum ad id, quod fit modo ordinario, attinet, cornu arietinum iudicare omnium optimum, ita tamen, vt non interdiciant, quo minus, necessitate coacti, aut si fortuito sic canendum, aliorum animalium cornibus vtantur, modo si ab immundorum, ac bubulo caueatur

cornu ob rationem jam recensitam. Loca Rabbinorum huc spectantia vide apud ZOEGAM l. c. c. I. §. 6.

- d) שִׁפְרָה ex communi fere Philologorum sententia a שִׁפְרָה *pulchrum, elegans, decorum esse* deriuatur, quamuis quoad sensum Radix cum deriuato nullum agnoscere nexum videatur. Hinc R. MARDOCHAI in לְבוּשׁ חוּרֵי שְׁפָרוֹת statuit שְׁפָרוֹת dici, quasi שְׁפָרוֹת quod tamen simplicitati vocis שִׁפְרָה aduersatur. Quicquid hujus est, exinde tamen, quia cornu illud, quod buccinarum festo inflabatur, in Scriptura S. dicitur שִׁפְרָה, patet, de quo nouilunio sermo sit Hieropaltae Pf. LXXXI. 4, exclamanti: תִּקְעוּ בְּחֹרֵשׁ שִׁפְרָה. Agit nempe de auspicio noui anni buccinae strepitu insigni, quemadmodum diserte CHALDAEVS mensis Tisri facit mentionem. Vir quidem magnus, teste REIZIO l. c. not. 2. putat, שִׁפְרָה generatim hic poni, subque ea contineri הַצְּפֹרֹת, vt adeo de quouis Nouilunio Dauid hoc loco ex mente ipsius loquatur. Sed hoc contra primariam Hermeneutices regulam, ne a proprietate verborum discedamus, nisi maxima urgeat necessitas, pugnat. Sententia viri Celeberrimi falsa hypothesi, qua buccinas hoc festo inflatas negauit, nititur. Videatur praeterea B. MART. GEIERVS in Comment. in Psalms in h. l. Edit. in IVto T. II. p. 40.
- e) עֵד significatio restringitur Jos. VI, 5. 6. per יוֹבֵל et יוֹבֵלִים. Quamuis autem Radix vocis יוֹבֵל lateat, quoniam non adeo commode a הוֹבִיל *duxit, adduxit*, (quia bona alienata ad Dominum anno Jubilaeo reducebantur, vt nonnulli hujus deriuationis reddunt rationem) deduci potest; vocis tamen יוֹבֵל significatio ex Scriptura S. satis luculenter patet, eaque triplex: a) arietem denotat. Vnde diserte in TALMVDE cap. דִּין רְאוּוֹ בֵית דִּין docent, Jobel significare arietem, et recen-

recensetur simul R. AKIBH̄ narratio referentis, se, cum in Arabia iterfecisset, arietem, Jobla vocatum, animaduertisse. Quam traditionem a dubiis, quae mouerunt ANDR. MASIVS et post ipsum BOCHARTVS, vindicarunt B. BVCKIVS in Diss. de Anno Jubilaeo, n. II. §. 2. et M. ZOEGA I. c. c. I. §. 4. 6) Buccinam ex cornu arietino factam indicat, euoluatur Exod. XIX, 4. 7) Significat annum Jubilaeum Leuit. XXV, 10. 11. quia videlicet Jubilaeum buccinis ex arietum cornibus factis nunciabatur. Quod si igitur ad locum Josuae citatum reuertamur, quaeritur, in qua nam significatione vox יובל et in Plurali יובלים ibi vsurpetur? Tertia significatio exinde non obtinet, quia יובל in singulari tantum denotat annum Jubilaeum, non vero in Plurali. Videatur REIZIVS ad Good v. Mos. et Aar. lib. III. c. X. §. 3. not. I.; nec buccina anno Jubilaeo plane fuit propria. Secunda ideo h. I. exulat, quia in dictione שפירת יובלים et שפירת יובל et שפירת יובל et שפירת יובל alias Tautologias vitium lateret. Hinc tantum prima, qua per יובל denominatur aries, relinquatur, vt verba Hebraica non tam per cornu Jubilaei, quam arietis sint vertenda. Haec quoque mens fuit CHALDAEI, qui בקרן יובל translulit per בקרן דכרית, cornu arietis, cui et SYMMACHVS suffragatur. B. LV THERVS potius sensum, quam singula verba respexit, in animo habens horum cornuum vsum, in annunciando annum Jubilaeum receptum, vt itaque a REIZIO I. c. inique propterea redarguatur. Ex omnibus istud relinquatur, quod supra adstruximus, cornu arietinum fuisse buccinarum materiam.

- f) Ob arietem loco Isaaci in sacrificium Abrahamo ostensum Genes. XXII, 13. arietis cornu adhibitum fuisse, quasi ex composito docent Rabini. Videatur TAL-

MVD in Tr. מִשְׁכַּחַת c. I. Namque ligationem Isaaci, quam primo mensis Tisri factam tradunt, tanti faciunt Judaei, ut vel per eam orantes preces Numini Summo acceptas esse, gratiaeq; Diuinae portas poenitentibus patere credant. conf. B. FRISCHMUTHI Disp. III. de Ligatione Isaaci §. 2. Hinc etiam arietem suppositum, quem sub vespera Sabbati conditum perperam sibi persuadent, in deliciis habentes, cornu arietinum propterea inflari putant, ne Deus in memoriam peccatorum obligationem Isaaci redeat. Quare factum, ut inferiori buccinae parte arietis caput exsculpant, sicut iuculenter docet schema illud, quod in fine Disp. suae depictum dedit M. ZOEGA. Optandum esset, ut isti excaecati potius ad Isaaci et arietis antitypum respicerent. At velo oculis ipsorum oppanso in tenebris obambulantes, nubem pro Junone amplectuntur. Ex curvitate etiam hujus cornu elatos spiritus esse deponendos discere volunt, ut in memoriam peccatorum reuocati, tristes et quasi incuruati, coram Deo appareant. Nec desunt, qui cornu hoc incuruo Judaeos lunae falcatae figuram repraesentare voluisse affirmant, cum mensium et temporis rationem secundum lunae vicissitudines dimetiri amarint. Videatur PHILLO de Festis et RELANDVS I. c. P. IV. c. VII. At quemadmodum arietem ac reliqua sacrificia a Deo ordinata, agnum Dei peccata mundi sublatum praefigurabant, ita optimum esset, si diceremus, ex arietis cornu festo noui anni sonitum fuisse editum, ut de cornu salutis Luc. I. 69. Ps. CXXXII, 17. Judaei admonerentur, et illius agni memoria recoleretur, qui tempore repleto magnum noui foederis annum esset restauraturus, Esa. LIII, 7. Quorum referenda sunt, quae habet REIZIVS ad Goodvvin. Mos. et Aaron. I. III. c. X. §. 4. not. 3. Plura de hac re vide §. sequenti.

§. 6.

Quare a matutino tempore vsque ad vesperam a) sonitus iste e buccina editus, sane non adeo suavis b) sit auditus, dissentiunt eruditi. c) Nonnulli ad praeterita, d) alii ad praesentia, seu ipsum diem, e) et tandem aliqui ad futura tempora f) in reddendis rationibus respiciunt. Qui triplex respectus, si causae rite constituantur, vna stare posse videtur. g)

a) Per diem totum ab aurora vsque ad solis occasum strepuisse sacerdotes, nemo ambigit. Videatur GOODVVIN. in Mos. et Aaron. libr. III. c. VII. §. 4. LVNDIVS in *Jüd. Heiligth.* l. c. p. 1023. Hodierni Judaei non contenti hujus et sequentium dierum clangore per totum mensem antecedentem buccinis clangunt, Diabolum in errorem daturi, vt primum anni diem ignoret, atque a suis conatibus, Judaeos hoc prae ceteris die coram tribunali Diuino accusandi, repellatur, de qua re paulo post. Videatur interim BVXTORFF. in Synag. Judaic. c. XVIII. et XIX.

b) Is quidem non assentiar, qui priscos Hebraeos musices artis plane expertes fuisse arbitrantur, eorumque cantica cum stridore agrestium comparant: Nihilominus tamen, quod ad buccinarum clangorem attinet, vix mihi persuaderi patiar, vt credam, aliquam eidem inditam fuisse suauitatem. Habeo in hac re mihi suffragantes nonnullos Rabbinorum. Auctor SCHILTE HAGGIBBOR c. 6. asserit, *iplos clangisse in die prima mensis septimi ad excitandum non suauitatem musices sed tremore*

more

- morem cordis secundum illud: *An in urbe audiatur tubae sonus, et non tremefiant.* Paria habet R. MENACHEM F. SERACH in צרור לררר aliique. Quae si ita sunt comparata, vix credendum CL. LVNDIO, in signi alias Antiquitatum Hebraicarum scrutatori, im Jüdischen Heiligtümern l. c. p. 1024. affirmanti: *Daß sie lustig und zwar clarin den ganzen Tag geblasen, daran ist kein Zweifel.*
- c) A Spiritu Sancto causa hujus ritus vna tantummodo voce צררן exprimitur Levitic. XXIII, 24. ex qua patet, clangorem buccinarum resonuisse, vt memoria rei cuiusdam repeteretur. Sed cuiusnam rei sonus iste Judaeos admonere debuerit, in Scriptura non est explicatum. Hinc tantus dissensus est enatus, vt ipse LVNDIVS l. c. dubius relinquatur, in cuius sententiam discedat. Quo vero luculentius de hac re constet, in sequentibus eam enucleabimus.
- d) Inter eos, qui Judaeos rerum praeteritarum buccinam strepentem admonuisse opinantur, B. LVATHERVS est referendus, quippe qui sententiam suam in Not. Marginal. ad Levit. XXIII, 24. ita exponit, vt omnium beneficiorum ac miraculorum Diuinorum, quae in Judaeorum facta essent liberationem, memoriam strepitu isthoc esse renouatam autemet. Subfistit itaque Vir Beatus in generalioribus, nec ad singulare quoddam beneficium descendit. Id quod tamen alii, quanquam magno sententiarum diuortio tentarunt. Plurimos RABBINORVM ad Isaacum ligatum et liberatum hoc ritu respici contendere, supra jam monui. Hinc etiam factum, vt Judaei hodierni, cultu Diuino in Synagogis peracto, in epulis apud ipsos vsu receptis, arietis caput mensis imponere soleant. Atque Christianorum Philologorum multi ad Isaacum hujus ritus originem referre nulli dubitant, ita tamen, vt alii contradicant, quibus

bus haud vero videtur simile, ob vnum adeo hominem Deum peculiare instituisse festum. Videatur LVNDIVS l. c. B. FAGIVS ad Levitic. XXIII. et BASILIVS in Psalm. LXXXI quos allegat GOODVVIN in Mos. et Aaron. l. c. in legis latae memoriam ita fuisse buccinatum, sunt arbitrati. Videatur et DIETERICVS in Antiquit. Bibl. ad Exod. XXIII. JONSTONIVS de Fest. Hebr. c. III. p. 12. aliique, quos allegat LEVSENIUS in Philolog. Hebr. Mixt. Diff. XXXIV. praeter memoriam arietis, loco Isaac, immolati, et ipsa noui anni solennia, buccinatum esse asserunt, vt in memoriam grauium olim bellorum cum hostibus suis gestorum redirent. BONFRERIVS ad Levitic. XXIII, 24. praeter numeri septenarii mysterium miraculosum murorum Hierichuntinorum lapsum ad buccinarum sonitum diuinitus factum, in mentem ipsis esse reuocatum, opinatur. IUNIVS et TREMELLIVS ad Levitic. XXIII, 24. sicut et BVXTORFFIVS in Synag. Jud. c. XXIV. sibi persuadent, Iudaeos hoc clangore non solum esse excitatos, vt rite se ad instans expiationis festum, pararent, sed etiam omnium a Deo per praeterlapsum annum beneficiorum grata mente recordarentur.

e) Nec conueniunt inter se illi, qui ad ipsum festum hanc clangoris memoriam referunt. GOODVVIN in Mos. et Aaron. l. c. §. 5. arbitratur, propterea buccinarum strepitum personuisse, vt diem noui anni eo obseruabilitorem redderent, quoniam omnes negotiationes et contractus ipsorum, et ipsi anni Sabbatici et Iubilaei abinde computarentur. Nonnulli Iudaeorum Theocratiam seu Dei regis Imperium in ipsos eo respici statuunt, vti monet RELANDVS in Antiquit. Sacr. Verer. Hebr. P. IV. c. VII. Maxime autem recepta inter Iudaeos est opinio, die

D pra-

praesenti buccinis clangi, vt ex somno peccatorum excitarentur homines, quia poenitentiae fit dies. Deus enim non quatuor solum anni temporibus, et in primis noui anni die mundum iudicare ipsis dicitur; *In principio anni*, traditur in ראש השנה cap. I., *transcunt coram eo, vt oues* - - - *formator pariter cordis eorum animaduertit ad omnia opera eorum*: sed etiam, vti iam dictum, sibi persuadent, Diabolum dilatam per totum annum accusationem hoc die prae ceteris vrgere. Ita enim ex MIDHRASCH scribit ABVDHRAHAM: *Fertur in Midhrasch Satanas toto anno accusare Israel coram Deo, cui sit benedictum. Deus autem eum differre ad initium anni, ad diem scilicet iudicii, quo denuo venit, et accusat, secum adducens solem, vt is de peccatis Israelitarum testetur. Cum itaque anni auspiciu sit dies iudicii, seria et non fucata opus esse poenitentia opinantur, quo seuerissimo Numinis iudicio mature supplici corde obuiam venientes non succumbant. Et isthaec est ratio illius, quod CHRISTIAN GERSON in des jüdischen Talmuds fürnehmsten Inhalt und Wiederlegung P. I. c. 18. p. 116. tradit, Judaeos octiduum ante et post noui anni auspiciu, horas nonnullas ante lucem surgere canticis ac precibus vacantes. In primis autem buccinis cantabant, quia clangor buccinae, ad excitandos e securitatis ac peccatorum torpore homines, facere ipsis dicebatur, secundum Joël. II, 1. Videatur MAIMONIDES in More Nevoch. III. c. XLVIII. Buccinatores vero iussos fuisse sequentia intonare: Excitamini, excitamini e somno vestro: Euigilate e somno vestro, qui vana tractatis; Nam sopor vobis grauissimus immixtus est. Aduertite ad animos vestros, et coram quo rationes in iudicio reddituri sitis; tradit Auctor, qui sub nomine משה עש commentatus est in Maimonidem. Ad quam siue simi-*

lem

Iem formulam Apostolum respicere Ephes. V, 14. ingeminantem: Ἐγὼ δὲ καθ' αὐτῶν καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν; putant nonnulli. Videantur THEOPH. AMELIVS in *Erörterung der dunkeln Schrift-Stellen*, N. T. T. II. p. 343. seqq. HOTTINGERVS in *Notis ad Goodv. Mos. et Aaron. I. c. not. 4. p. 600. seq.* Athlothetae similem excitandi habebant formulam, quos nonnulli putant imitari Apostolum. Vid. JAC. LYDII Agonist. Sacr. c. XXIX. p. 98. Edit. Roterod. 1657. impressae.

- f) Ex iis, qui ad futura hunc buccinarum strepitum referunt, sunt multi, qui ad proxime instans כַּבֵּרִים festum hunc diem fuisse praeparationem existimant. Quare factum, ut omnes dies vsque ad Expiationis festum poenitentiae exercitiis transfigerentur; Ita praeter FRIEDLIBIVM, ESTIVS ad Num. XXIX, 1. Alii laetissimum noui foederis tempus, nec non Euangelii buccinam per totum terrarum orbem personantem fuisse indicatam, contendunt. Videatur GOODVVIN I. c. §. 6. B. HERBERGERVS in *Magnal. ad Leuit. XXIII. n. 53. p. 57.* et B. OSIANDER ad *Leuit. XXIII.* Joannem Christi praecursorem ejusque vocem in deserto clamantem, buccina noui anni fuisse praefiguratum, sicut buccinarum dies expiationis festum praecesserit, affirmant. Iudaei nonnulli volunt, referendam esse hanc caerimoniam ad libertatem populi, quum in fine Jubilaecorum clangore buccinae libertas foret publicanda, vti restatur RELANDVS in *Antiqu. Sacr. Veter Hebr. P. IV. c. VII.* Tandemque sunt nonnulli, qui buccinatum esse contendunt in memoriam futurae resurrectionis, quae fiet *μετὰ σάπτιγγος Θωμῆς μεγάλης. Matth. XXIV, 31.* Videatur GOODVVIN. I. c.

- g) Ad praeterita זכרון תרועה respexisse nullum est dubium

bium. Prae ceteris vero vt maximi Summi Numinis operis, mundi videlicet exstructionis admonerentur Iudaei, ita buccinis cantatum fuisse ego crederem. Ideo mense Tisri ciuilis apud Iudaeos anni auspiciū coepisse, quia mense Tisri conditus sit mundus, supra est euictum. Quae si ita sunt, quis erroris me postulat, clangoris huius ritum in memoriam summi huius operis obtinuisse affirmantem, ita tamen, vt reliqua beneficia in Israëlitas, Dominium Jehouae, collata, non excludantur? Hoc modo pulcherrimus erit inter festa buccinarum et Expiationis nexus. Priori mundi conditi memoria fuit repetita; posterior vero lapsum Adae infandamque in genus humanum, quae exinde redundauit, calamitatem, ac remedia huius mali ipsis in animum reuocauit. Et quemadmodum anni sacri auspiciū mense Nisan seu Abib faciendum, in liberationis ex Aegypto memoriam celebrabatur: Ita ciuilis anni exordium mense Tisri inde a conditi mundi initio receptum, saeculi structuram ab obliuione vindicabat. Quod ad ipsum hunc diem attinet, buccinatum fuit, vt praeter Diuinorum beneficiorum per praeterlapsum annum praestitorum recordationem, praeuaricationum suarum admoniti Iudaei pia mente Numinis gratiam implorarent. Nec tamen minus quoad futura amoenissimus Noui foederis dies erat recolendus, futurumque iudicium animis inculcandam; Quae prolixius jam adstruere, tempus non permittit.

§. 7.

Unum tantummodo diem celebrare erant iussi, a) at in locis remotioribus per Nouilunii

Tisri

Tifri nuntios non statim certiores redditi, quando id festum Hierosolymis ex sententia Synedrii sanctum haberetur b) biduum erat receptum, quod deinde in consuetudinem ubique abiit. c)

a) Quam ob causam hoc festum Num. XXIX, 1. יום הדרשה vocatur. Et Esra ac Nehemia post reditum ex Babele anni auspiciam celebrantes vnius tantum diei faciunt mentionem, dicentes: יום קדש הוא ליהודים. Nehem. VIII, 9. Quare Judaeis Christianorum Sabbatum ad diem Solis translatum calumniantibus CHRISTIAN. GERSON *In des jüdischen Talmud fürnehmsten Inhalt etc.* P. II. c. 15. p. 405. regerit: *Wann die jüden zu Jerusalem sieben Tage lang Ostern, einen Tag Pfingsten, einen Tag Neu Jahr, und acht Tage Lauberbüeten-Fest seyren, so seyret ihr acht Tage lang Ostern, zwey Tage Pfingsten, zwey Tage Neu Jahr, und neun Tage das Lauberbüeten-Fest.*

b) Tum Festa Nouiluniorum generatim, tum speciatim nouilunium Tifri anni faciens auspiciam primis quidem temporibus ex Synedrii decreto, quod de visâ primâ luna judicabat, flamma in montibus accensa, extra Hierosolymam habitantibus indicabantur: At postea Samaritanorum fraudi coacti per nuncios summa celeritate iter facientes annunciabantur, de qua re supra jam mentio est facta §. 4. not. a. maximeque euoluendus MAIMONIDES in קידוש החדש ibi allegatus. Per quos itaque nuncios cum remotiores statim de tempore festi Hierosolymis approbato certiores reddi non possent, biduum et Nouiluniorum et festi noui anni habebant sanctum. At in iis locis, ad quae nun-

cii satis mature accedebant, vnum tantum diem celebrabant. Videatur RELANDVS l. c. p. 442.

- c) Vbique biduum jam ante urbem deletam sibi vindicauit hoc festum. Vnde in SCHABBATH et GEMARA PESACHIM scribunt: שני ימים טובים של ראש השנה. Id biduum putant celebrandum secundum placita נביאים הראשונים. Cumque in Nouiluniis prior dies majori polleat sanctitate, ac posterior, quoad Nouilunium Tisri ambo dies sunt ejusdem sanctitatis. Vid. RELAND. l. c. p. 440. et LVNDIVS l. c. p. 1026.

§. 8.

Typum Christi ac noui foederis hoc festum gessisse, nullum est dubium, sumusque de eo ex verbis Apostoli Coloss. II, 16. 17. generatim conceptis certiores. a) Attamen quoad applicandi modum non conuenit inter omnes. b) Potest de eo quodammodo iudicari ex iis, quae §. 6. not. §. n. sunt allata.

- a) Apostolus loco citato, de quo videatur B. BALDVINVS Comment. p. 1080. et MATTH. POLVS in Synopsi. Critic. ad h. l. p. 867. et 868 recens conuersis Judaeis a Pseudo - Apostolis ob necessariam Leuiticarum caerimoniarum obseruationem turbatis in animum reuocat, *munias* ἡ σαββατα fuisse *omnium rationum* *ueteris* seu eas adumbrasse Christum, et ejus beneficia. Quod si itaque Nouilunia generatim spectata Christum tempusque noui testamenti praefigurarunt, quare non et Nouilunium magnum, quod dedit anno auspiciū?

b) MOM.

b) MOMMA de Statu Eccles. sub Patriarch. T. I. libr. II. c. II. §. 96. et CHYTRAEVS ad Leuitic. XXIII. Euangelii annunciationem post Christi adscensum, *Quasi oδa-πινγ* factum, fuisse praefiguratam, autumant. GOODVVIN. l. c. allegat nonnullos, qui iudicium futurum adumbratum fuisse, contendunt. Videatur LVNDIVS l. c., cui posterior sententia prae ceteris placet. Conf. et LANGIVS in Myster. Christi et Christian. p. 366. seq. Quae sententiae sibi inuicem non repugnant.

* * *

PAUCA haec impolita minusque exornata, sufficientibus quippe ad haec talia condenda subsidiis destitutus, non ostentandi studio ductus, sed pietatis submissaeque mentis indicia edendi occasionem aucupatus pro ingenii modulo fati exiguo edisserui. Quae si vel VESTRA, MAECENATES, quos jam compello, MAXIMI, auctoritate, summoque dignitatis, in qua collocati estis, fastigio, videntur indigna, quae in VESTRVM prodeant conspectum: Animi tamen mola falsa litantes, cum thura deficiant, sinceritatem, VOS, quae mirifica VOBIS propria est humanitas, serena fronte approbaturus, nullus dubito. Vo-
uenda

uenda VOBIS, MAECENATES, sacri gregis incolunitati die nocteque indefesso studio inuigilantibus tempore hoc, quo iterum per incredibilem Summi Numinis gratiam nouum faustis ominibus auspicamur annum, bona verba videbantur. Tantis enim totque a VOBIS exornatus sum beneficiis, vt impii, quin et abjecti animi iure meritoque postulandus forem, nisi publicum aliquando obstrictae mentis monimentum, omni, qua fieri debet, submissione ac reuerentia statuerem. Namque in litterarum studia incumbentem, at pauperimum tamen, in viliori quippe agri tugurio natum, me non solum suscepistis, fouistis atque in Academiis per aliquot annos aluistis: Sed litterarum etiam stadio nondum penitus confecto, ante quinquennium, et quod excurrit, in Candidatorum Reu. Ministerii, quos vocant, numerum, reddita in examine consueto studiorum meorum ratione, benigne et clementer recepistis; vt publicam a Potentissimo Poloniarum Rege VOBIS, PATRONI OPTIMI, delatam coetus sacri curam iam
 silen-

silentio practeream, quippe quae vnum quem-
 que, nisi omnem prorsus humanitatem exue-
 rit, devinctum reddit, vt nunquam non pi-
 is precibus pro VESTRA salute factis coe-
 lum fatiget, suamque in VOS pietatem
 omni data occasione faciat testatam. Id ve-
 ro sacro huic tempori ab omnibus propemo-
 dum gentibus, precibus piisque votis
 transacto, prae ceteris convenire arbitror.
 Plinio (*) quidem magno illi Historiarum Na-
 turalium Conditori vota sub noui anni auspici-
 um suscepta sublestae veniunt fidei. Quaerens
 enim, *cur primum anni incipientis diem laetis precationibus
 inuisem faustum omninemur?* Loco responsi omnia ad-
 meram reuocat superstitionem. At de per-
 uersa saeculi sui obtenebrati indole ita iudicat
 paganus: Inter Christianos sincerae est pieta-
 tis officium, quod excaecati illi superstitione
 nefanda deturparunt. VOS itaque, MAE-
 CENATES, die hoc prosequens votis ac
 precibus illam Romanorum consuetudinem
 ab omnibus profanae mentis sordibus purga-
 tam imitor, ex qua ciues magistratibus his no-

E

ui

ui anni Calendis felicia gubernacula votis suis
 sunt apprecati. (***) Arduam Diuini coetus
 in dilectissima patria nostra florentis curam,
 onus sane tremendum humeris VESTRIS De-
 us Optimus Maximus imposuit. Quid vero huic
 gubernaculo magis expedit, quam si VOS, PA-
 TRONI MAXIMI, sufficientibus et animo-
 rum et corporum viribus diuinitus concessis
 onus commissum, Ætna propemodum grauius,
 possitis sustinere? Cum omnibus itaque, quot
 publicam sibi curae cordique habent salu-
 tem, terrarum nostrarum incolis coram coeli
 terrarumque Moderatore flexa pono genua, pi-
 asque manus ex intimo cordis affectu ad fidera
 tendo, vt Clementissimum Numen omnis ge-
 neris felicitatem de super in patriae nostrae gu-
 bernatores effundat: Prae ceteris conseruet,
 viribusque adaugeat senectute jam ingra-
 uescentem, POTENTISSIMUM SARMATA-
 RVM REGEM, PATREM PATRIAE, OPTI-
 MVM, PIVM SEMPERQVE AVGVSTVM. Et
 ipsa EIVS MAIESTAS ET CELSISSIMA
 DOMVS REGIA viuat, vigeat, floreat a qui-
 bus

busuis atrarum nubium procellis tuta atque
 immunis. Redundent et in VOS, MAECE-
 NATES MAXIMI, ILLVSTREMQUE ac
 SPLENDIDISSIMAS VESTRAS FAMILIAS
 largiora Diuinae gratiae flumina, vt his tanquam
 immerfi corroboremini et sicut procerae arbo-
 res, omnem patriam adumbrantes, fructus fera-
 tis ciuibus nunquam non inferuientes atque pro-
 ficuos. Omnia ea, quae et in grauissimo munere
 et in VESTRIS familiis VOS turbare, VOBIS-
 que tristitiam ac moerorem parere conantur,
 sint quam longissime remota. Cumque DOMVS
 ILLVSTRISSIMA CAPITIS VESTRI nuper admo-
 dum fulmine desuper immisso sit tacta, atraque
 iam cupresso stet squalida, vulnus hoc non-
 dum in cicatricem abiens non renouabo, sed
 tantummodo in pias incumbam preces, vt cu-
 iuscunq; generis salute illud, quod ablatum
 est, compensans Numen ILLVSTRISSIMAM HANC
 FAMILIAM solis indies ex sententia laetius orien-
 tis radiis exhilaret. Vno verbo: Valetate, quis-
 que VESTRVM, MAECENATES, vigete,
 crescite, atque per plurimos annos florete!

E 2

Ita

3K II 258

Ita patriae omnibusque eius ciuibus ex omni parte semper optime erit consultum. Valete, Musisque meis sacris, quibus vnice ab ineunte adolescentia me addixi, vasto adhuc procellarum mari huc illuc iactatis fauete, quo tandem earum cymba portum exoptatum attingat. Dabam Dresdae, ipsis Januarii Calendis, Anni, quem bonis ominibus auspicari liceat, post restauratam salutem

MDCCXXIX.

(*) Hist. Natur. lib. XXVIII. c. 2. Edit. Francof. ao. 1608. impressie. p. 1123.

(**) Videantur MARTIALIS Epigram. libr. VIII. Epig. LXXVI. in Consulatum Sillii, p. 457. Edit. in Vsum Delphini Paris. 1680. et CICERO in Orat. per Muraena, quam ipsis Januarii Calendis habuit recentes Consules plis votis profecurus,



ULB Halle

006 667 554

3



v. 18

ms







PROTOSYNEDRI
QVOD, IN. SAXONIA. FLORET
PERILLVSTRI. AC. GENEROSISSIMO
PRAESIDI
NEC. NON
VIRIS. SVMME. REVERENDIS. MAGNIFICIS
AMPLISSIMIS. CONSVLTISSIMIS
EXCELLENTISSIMISQVE
DOMINIS. CONSILIARIIS
AC
ASSESSORIBVS. GRAVISSIMIS
MAECENATIBVS. SVIS
MAXIMIS. OMNI. PIETATIS. CVLTV. AETERNVM
OBSERVANDIS
FAVSTA. NOVI. ANNI. AVSPICIA. APPRECATVR
SIMVLOVE
DE. DIE. FESTO. BVCCINARVM
DISSERIT
M. CHRISTOPH. KRETZSCHMARVS
REV. MINIST. CANDIDAT.

ILEBVRGI
PRELO. BERGEMANNIANO